OBSERVATIONES MISCELLAE
DE
MORBIS MENTIS,
QVAS
CVM SVBIVNCTA MANIAE HISTORIA
HELLEBORI NIGRI EFFICACIAM NOVO
EXEMPLO CONFIRMANTE,

PRAESIDE

CAROLO AVGVSTO GVILIELMO BERENDS,
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. HVIVSQVE PROF. PVBL.
ORD. CIVITAT. FRANCOFVRT. ET. CIRCVL LEBVS.
PHYSICO REG. NOSOCOM. CIVIC. THIELEN. MED.
ORD. ACADEM. CAESAR. NATVR. CVRIOS. ET. SO-
CIET. REG. SCIENT. FRANCOFVRT. ADSCRIPTO,
ORD. MED. H. T. DECANO,

DOCTORIS MEDICI HONORES
LEGITIME IMPETRATVRVS
A. D. XIII. FEBRVARII MDCCCI.
PVBLICE DISCEPTABIT

IOANNES FRIDERICVS CHRIESTLIEB MOECK
BELGARDO - POMERANVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

Obſeruationes Miſcellae de Morbis Mentis.

De proxima morborum mentis cauſſa.

I.

Quum omnium propemodo morborum cauſſae obſcurae ſint: tum illorum maxime, qui mentem eiusque officinam cerebrum affligunt, continentem proximamque cauſſam medicis inacceſſam fere hactenus eſſe, vtique contenderim.

II.

Namque profecto vix operae pretium feciſſe exiſtimandi ſunt, qui exploſis veterum medicorum opinionibus, de calida cerebri intemperie, bileque, inprimis atra ſanguinem vitiante, mentis laeſae cauſſis, vel infirmitatem aliquam cerebri ſubſtituerent, vel huius incitabilitatem haud in omnibus ſuis partibus ſatis aequabilem.

III.

Rem obſcuram, ſi alia aeque obſcura declarare licet, quidni vel ex aquula ventriculorum cerebri, aut alios tantum motus ad mentem propagante, alios ſuffocante; aut ad nonnullas tantum elementorum ſuorum coniunctiones ſeſe accommodante hasque tenaciter tuente, ceteras omnes pertinaciter reſpuente, mentis morbos explicemus?

IV.

Quamuis ad aſtheniam longe plurimis in exemplis melancholia ſatis commode referatur; nequaquam tamen experientiae conſentaneum eſt, ſtheniae vitio maniae cauſſam ſemper contineri.

V.

Incitamenta, quae mere corpoream naturam habent, etſi diuturna et quocunque laedendi modo efficaciſſima, nec mentis aciem ſubinde offuſcant, nec eius iudicia peruertunt.

VI.

Et cerebri vitioſitates extiſpicio declaratas, propter longam inſaniam demum ſubnatas eſſe, magis crediderís, quam hanc cum morbo natas peperiſſe.

VII.

Igitur recte concluſeris, non niſi longe ſubtiliſſimos ſtimulos ad id ſatis valere, vt tum vi abnormi tum diuturnitate ſua, mentem vna cum cerebro eius officina peſſumdent.

VIII.

Itaque primum e mente ortum inſania ducere videtur, ſecus ac delirium, quod ſolius cerebri vitio mentem fallit; dum contra inſania e mente orta cerebrum vitiat, ſicque morbi cauſſam multiplicando, quo minus reſipiſcat, ſibi mens ipſa impedimento eſt.

IX.

Ideae, (lata ſignificatione) incitamenta mentis propria ſunt.

X.

Quae abnormem in modum mentem commouentes, huius ſimul officinam excitando debilitandoue vitiant; vnde poſt aliquam animi aegritudinem aut grauiorem aut diuturniorem primum fere inſania erumpere ſolet.

XI.

Deinde pro duplici ſenſationum fonte, ſenſu externo internoque, menti, quae vt hoc ſolo delectetur,

illum

illum ſtudioſe occludit, phantasmata obiici neceſſe eſt, adeo viuida et luculenta, vt aſſenſum ſuum cohibere nequeat.

XII.

Hinc iudicia priua, perpetua cogitatione altiſſimis radicibus menti defixa, communi ſenſui demum contraria. En! altera inſaniae, modo atque indole admodum variae, in mente origo.

XIII.

Vtcunque vero mente cerebrum vitietur, dubitari tamen nequit, quin praeuiae alicuius labis nunquam definiendae, haereditate ſubinde propagatae cerebtum ſimul accuſandum veniat.

De nonnullis, quae ad inſaniam ſpectant, quatenus de dubio animi ſtatu a iudice quaeritur.

XIV.

Eos deprehendere, qui maniam ſimulant, difficile non eſt; melancholicorum autem, etſi moribus ſatis cognoſcuntur, ſaepe adeo occulta ſunt deliria, vt, quum non niſi in paucioribus rebus deſipiant atque paulatim tantum e moroſitate illis ſolenni in manifeſtas mentis hallucinationes deueniant, in hoc dubio animi ſtatu accurate diiudicando, magna prudentia opus ſit.

XV.

Horum quoque maxime ſunt deliria breuia, quae tranſitoria hodie dicunt, ſubinde periodica; quorum ſi occaſionales cauſſas eo tempore, quo aliquid deliquerint, efficaces in corpore adfuiſſe conſtat, de delira illo tempore mente vix dubitandum eſt.

XVI.

Sanguinis profluuia, cum naturalia tum ea, quorum homo conſuetudinem contraxit, ſiue emanſerint, ſiue parciores profuſioresue fuerint, ſiue denique, quum recte fluerent, maior aliquis ſtimulus corpus mentemque exagitauerit, breuia illa deliria maxime mouent.

XVII.

Vitae taedium, quod vel iuſtae cauſſae vel tantum imaginariae homini attulerint, breui delirio autochiros adducere videtur, vt deliberatam mortem ſaepe inopinato praecipitent.

XVIII.

Homines ex infima plebe autochiri, e longo vini aduſti abuſu, in id delirii plerumque deueniunt.

XIX.

Melancholiam ex vitae taedio fere nunquam perfecte

ſanabis

ſanabis. Manent infelices iſtos ſua fata; et quem aliquoties ſeruaueris, plures etiam poſt annos tandem violentas ſibi inferet manus.

XX.

Autochiriae ſigna ſubinde minus euidentia ſunt. Vidimus laqueo ſuſpenſum, vinctis femoribus manibusque; alium, textorem de machina textoria ſuſpenſum cum ampliſſimo letalique colli vulnere, quorum vterque ſibi ipſi manus certe attulerat.

De curatione inſanientium.

XXI.

Pſychologia ad inſanientium curationem conſilia affert longe praeſtantiſſima, quibus recte vti ſi medicus haud nouerit, fruſtra medicinam parabit.

XXII.

De cura mentis, quam in veſanis haberi conuenit, veteribus medicis nemo accuratius expoſuit.

A. Corn. Celsvs L. III. c. 18.

Cael. Avrelianvs morbor. chronic. L. I. c. 5.

XXIII.

Victus exquiſitus, exercitationes validae, peregrinationes

nationes mitioraque remedia, heroicis medicamentis in curanda insania efficacitate saepe maximopere praestant.

XXIV.

Notatu dignum est, veteres medicos non solum vtroque helleboro exercuisse insanientes, verum etiam in calidis fomentis et vino insaniae medicinam quaesiuisse.

XXV.

Laudes, quibus tartarum tartarisatum tanquam eximium in morbis mentis remedium olim ornauit MVTZELIVS medicus consummatus, experientia vtique confirmat.

XXVI.

Attamen liquor, BOERHAAVIO digestiuus dictus, tartarum tartarisatum efficacia fere superat; inprimis tartari stibiati commodo praebio auctus.

XXVII.

Praeterea hoc commodi habet stibiatus tartarus, quod furiosis omnem medicinam respuentibus praeberi potest insciis.

XXVIII.

Extractum daturae ftramonii melancholicorum anxietates vi aeque certa, atque fecura folatur iisque, ne ad maniam perueniant, magno praefidio eft.

XXIX.

Sunt foeminae, quae melancholia afficiantur grauidae, aliae, quibus puerperium mentem emoueat; nouimus foeminam toties melancholicam, quoties vterum non ferret.

XXX.

Melancholia e nimiae veneris noxis, veris quidem illis, fere infanabilis; fed etiam ex imaginariis, curatu difficillima.

Maniae.

Maniae

Helleboro nigro potiſſimum ſanatae, hiſtoria.

Virgo triginta annorum, nobili genere orta, fibrae paullo ſtrictioris, habitus floridi, litterarum cupidiſſima, anno aetatis vigeſimo, hactenus valetudine integra gauiſa, exanthemate quodam faciei anonymo atque hoc demum curato, menſtruis irregularibus, parcis atque dolorificis implicata fuit. Non ita poſt, a febre lenta, quae tandem in intermittentem abierat, nonniſi plurium medicorum auxilio conualuit, perdurante tamen inordinato menſtruorum fluxu. Huius quidem reſtituendi cauſſa medicorum alius ſuper alium, ſed fruſtra in conſilium vocatus eſt. Tandem omnis medicinae pertaeſa ſuique ipſius arbitrii facta, ex quotidiano per aeſtatem in flumen vicinum deſcenſu corporisque ibidem lauatione nonnihil leuaminis ſe percipere credi-

dit, donec inter lauandum aliquando animi deliquio correpta, haud fine magno labore excitaretur. A quo tempore malum in peius verti coepit, ita vt aegrota abdominis affectionibus fpasmodicis atque pedum lacerante dolore, cui oedema fuperuenit, valde diuque excruciaretur, menfium infuper fluxu ei nunc penitus denegato. Accefferunt quoque haemorrhoides coecae, haud ita poft moleftae. Deinde, quum hirudines ad anum, pilulae emmenagogae et quaecunque medicus denuo confultus praefcripferat, nullam opem tuliffent, ad balnea frigida aegrota vltro refugit. Horum quidem inter malam tempeftatem immodico vfu abftinere prius non defiit, quam dolore capitis atrociffimo, tenfiuo, eoque continuo inuaderetur. Cui, fi quando remiffior effet, tanta triftitia fucceffit, vt a lacrymis fibi temperare aegra non poffet. Inuincibili circa hoc tempus (medio quidem menfe feptembri ann. 1799) naturae impetu ad lauationem impulfa, hanc repetiit, donec iterum febre affligeretur. Quinto tandem morbi die, poftquam de magna anxietate, inquietudine atque fanguinis caput verfus impulfu conquefta erat, fubito infanire coepit. Ad hunc febris exitum celebrandae nuptiae fororis natu minoris, haud parum contuliffe videntur; fiquidem deliram maxime de nuptiis ac re maritali fermocinari familiares audiuerunt. Venaefectio, a medico in auxilium vocato temere inftituta, maiorem in modum aegrotam debilitauit. Huic debilitati tantus furor fuperuenit, vt vinculis mifera coërceri deberet. Emetica, aluum mouentia, vefic atoria

ria suris admota, hirudines ad anum applicatae, praesertim autem opium et camphora, a quibus opem rogauit medicus, tantum abfuit, vt insaniae mederentur, vt ne somnum quidem miserae conciliarent. Sic morbus in dies increuit, dum et mihi aliquid in hac re tentare liceret rogato. Iam metus haud vanus fuit, ne quid violenter insana ageret. Affectuum adfuit idearumque mira successio atque variatio. Vis musculorum tanta, quae plures fortium virorum manus sperneret. Nulla requies, nisi quandoque erecta in lecto sessio. Ingens vultus ferocia, pulsus paruus atque frequens. Ob magnam caussarum praegressarum vim, quarum aliae mentem, aliae corpus proxime inuaserant, parum abfuit, quin curationem orditus de restituenda salute desperarem; inprimis, quum prima morbi occasio iam ante decem abhinc annos data esse videretur. Attamen infarctus viscerum abdominalium, quorum potissimum aderat suspicio, resoluendi caussa, kali tartarici vnicam vnam cum tartari stibiati granis tribus in aquae menthae piper. vnciis octo solui, additaque mellis despumati vncia vna, intra biduum ita propinaui, vt aluus bis terue quotidie moueretur. — Tertio demum, ex quo ad aegrotam aduocatus eram, die, cum sordium ventriculi sursum turgentium indiciis commotus tartari stibiati grana sex dedissem, ingens muci tenacioris vis, tam per aluum, quam per vomitum excernebatur. Mirumque fuit atque commemoratione vtique dignum, tempore, quod vomitum sin-

fingulum proxime antecederet et fequeretur, fanam mentem per aliquot horae momenta rediiffe. Quarto tandem et fequentibus diebus potionis refoluentis, quam fupra indicaui, vfus ita repetitus fuit, vt ter quaterue quotidie aluus purgaretur. Cui poftea remedio, quum aluum non moueret, duas Mannae vncias addidi, interpofita fimul, quando res poftulare videretur, medicina emetica. Horum remediorum vfu per fex hebdomades continuato, menfes fponte et citra omnem moleftiam fluere vidi; infania tamen perdurante, immo magis increbefcente. Ad fummum morbus augeri coeperat, cum aliquando fomni afferendi cauffa, opii puri granum vnum porrexiffem. Verum enim vero, refoluentis medicinae fecuriorem falubrioremque vfum fore ratus, mixturam fupra memoratam ita adhibui, vt ob huius effectum quandoque exiguum, alia remedia falina, quibus aluus fatis moueretur, adderem. Paucis diebus antea, quam iterum rediturus effet menftruorum fluxus, hunc extracto hellebori nigri, dofibus paulatim auctioribus fumendo promouere ftudui. Cum id contigiffet, furor omnis conticefcebat, licet mente adhuc femper perturbata. Ex illo tempore mane et vefpere pilulas helleboratas, interpofito autem temporis fpatio mixturae refoluentis vncias tres aegrotam fumere iuffi. Hebdomadibus decem inter hanc medelam elapfis, fana mente penitus potita eft. Iam ad curationem perficiendam in vfum vocata funt extracta amara, quae poftea Peruano cortici et Quaffiae ligno locum cede-

re

re oportuit. His quidem remediis per longum temporis ſpatium diligenter adhibitis, maxime effectum eſſe reor, vt feliciter ſanata virgo in priſtinum morbum non recideret, integerrima valetudine hodiedum fruens.

GEORG. ERNEST. STAHL,

Theor. Medic. ver. p. 1418.

Quanto longius a corporali habitu atque vſu res recedunt, eo inanior certe de illis eſt omnis ſpeculatio et impeditior conceptus.

Luculentum eius rei teſtimonium offerunt nobis variae perturbationes mentis, de quibus prolixe argutari quidem datur, argumentari autem et conceptum ſolidum formare, irritus ſimpliciter eſt conatus.